

CHRISTOPHORI CARDINALIS

Madrucij, itidem sub initium belli Smalcaldici
cusus, Anno Christi

1546.



MADRUCIORUM fidem atque industriam cum multis documentis explorasset Carolus Imp. clementiâ eos singulari prosequitur: ornat honoribus: ad res magni momenti ac ponderis adhibet. Alibrandi operâ in contrahendis contra Protestantibus copiis feliciter utitur: Eundem post Germanicæ legationis Ducem supremum designat. Christophorum, quem amœni virum ingenij Thuanus appellat, sub id ipsum temporis ad Pontificem mittit, evocaturum promissâ contra Evangelicos auxilia. Eundem Anno 1555. mortuo Joanne Jacobo Medicino Meleniani Marchione, summæ rerum in statu Mediolanensi præficit: quod Septem virorum, & reliquorum Imperij Principum amicitia floreret: attributo ei Piscariæ Marchione, qui rei bellicæ sub ipso præfesset. *De Phœnice natura referunt speculatores, quod sexcentos annos ubi vixit, voluntario se committat incendio, pyræq. congestâ, quam eminentiori loco sitam Sol incendat, spontanea ardeat: ex his vero ipsis cineribus suis tandem reviviscat. Pari modo viri magni & vel literis, vel armis clari semetipsos quasi curis atq. laboribus comburunt: sed fini eâ, ut æternam post se nominis famâq. celebritatem relinquentes, se & etiam vivant posteritati.*

Thuanus, Sleidanus Author.